



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sacrosancti Et Oecvmenici Concilii Tridentini, Pavlo III.  
Ivlio III. Et Pio IV. Pont. Max. celebrati, Canones Et  
Decreta**

**Tridentinum <1545-1563, Trient>**

**Coloniae, 1615**

Saluus conductus datus Protestantibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42415**

idem sapiant, confidens Dei misericordia, & sperans fore, ut illi in sanctissimam & salutarem unius fidei, spei, caritatisque concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, securitatem, & fidem, ut petierunt, publicam, quam saluum conductum vocat, quo ad se pertinet, eius, qui infra scriptus erit, tenoris, dedit, atque concessit: & eorum causa definitionem illorum articulorum ad secundam Sessionem distulit; quam, ut illi commodè interesse possent, in diem festum conversionis D. Pauli, quæ erit vigesima quinta die mensis Ianuarij, anni sequentis, indixit. Illudque præterea statuit, ut in eadem Sessione de sacrificio Missæ agatur, propter magnam utriusque rei connexionem; in altera Sessione proxima de Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramento tractandum. Illam autem diem festum D. Catharinæ virginis & martyris, qui erit vigesima quinta Novembris, habendam esse decrevit, simulque ut in utraque materiam reformationis prosequar.

### SALVVS CONDVCTVS datus Protestantibus.

**S**acrosancta generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, presidentibus in ea eisdem Sanctæ Sedis Apostolicæ Legato, & Nuncijs, omnibus, & singulis, siue ecclesiasticis siue secularibus personis uniuersæ Germaniæ, cuiuscunque gradus  
Status



status, cōditionis, qualitatis sint, quæ ad œcu-  
 menicum hæc, & generale Concilium accedere  
 voluerint, vt de ijs rebus, quæ in ipsa Synodo  
 tractari debent, omni liberalitate cōferre, pro-  
 ponere, & tractare, ac ad ipsum, œcumenicum  
 Concilium liberè, & tutò venire. & in eo ma-  
 nere, & commorari, ac articulos, quot illis vi-  
 debitur, tam scripto, quam verbo, offerre, pro-  
 ponere, & cum Patribus, siue ijs qui ab ipsa  
 sancta Synodo delecti fuerint, conferre, & abs-  
 que vllis conuicijs, & contumelijs disputare,  
 nec non quando illis placuerit, recedere possint,  
 & valeant, publicam fidem, & plenam securi-  
 tatem quam saluum conductum appellant, cum  
 omnibus, & singulis clausulis, & decretis ne-  
 cessarijs, & opportunis, etiamsi specialiter, &  
 non per verba generalia exprimi deberēt, quæ  
 pro expressis haberi voluit, quātum ad ipsam  
 sanctam Synodum spectat, cōcedit. Placuit præ-  
 terea sanctæ Synodo, vt, si pro maiore libertate  
 ac securitate eorum, certos tam pro cōmissis,  
 quam pro committendis per eos delictis, iudi-  
 ces eis deputari cupiāt, illos sibi beneuolos no-  
 minent, etiam si delicta ipsa quantumcum-  
 que enormia, ac heresin sapien-  
 tia fuerint.